

cis ante annis inter eos & Genuenses pactæ fuerant, in biennium prorogarentur, enixe curaverit. 1273

Dum hæc in Italia geruntur, pauci Eubœæ Reguli, qui tertiam insulæ partem adhuc tenebant, Andrea Dandulo Præ-tore invito, cum sexdecim longis navibus eam minoris Asiæ partem, quæ tum Palæologo parebat, tumultuose invadunt; unde ingenti præda abducta, illius in se arma excivere. Comparata classe, confestim Palæologus in Eubœam transmisit: Oreum obsidione cingit. Reguli, ut suos obsidione levarent, viginti triremibus freti laceßendo hostem ad pugnam pertra-xere: eos fusos fugatosque Palæologus tota pene classe exuit, plerosque nobiles victor ex insula captivos abduxit: quingen-tos Venetos, qui in Regulorum navibus capti fuerant, Apo-crifariis suis Venetias adducendos tradidit; quibus manda-tum est, ut in quinque proximos annos fædus cum Venetis renovarent. Non possum non vehementer mirari, vulgo tra-ditum, Dandulo invito, Euboicos Regulos arma Palæologo intulisse; potuerunt insulani detrectare magistratus impe-rium; at quingenti Veneti nominis, qui in ea classe capti di-cuntur, non potuerunt: sed illud ii, qui ita evenisse volunt, qua ratione sit factum, viderint. Hic tunc erat rerum Vene-tarum status, quum Tepulus anno sui regiminis sexto vita de-cessit: in Gemellorum æde paterno sepulchro est conditus.

Jacobus Contareus in ejus locum creatus. Sub primam hujus administrationem bellum prope est cum Genuensibus renovatum, cætea Venetorum navi mercibus onusta a dua-bus Ligusticis oppressa. Creditum vulgo, id publico consilio factum: atque ideo classis armaque cæpta continuo parari. Placuit tamen, more majorum res prius publico nomine a Li-gure repeti; quibus non redditis, apparebat, omnia Venetos hostilia molituros. Missi Genuam ad hoc ipsum legati, re-ceptisque rebus, domum non multo post reversi, quum in novi belli expectationem erectam invenissent civitatem (quia paca-ta omnia a Ligure afferebantur) præsentī cura levarunt. Se-ditio Tepulo Duce ob molarum vectigal in civitate orta, hoc Principe prorsus sublata est. Pacato civitatis statu, foris no-vum oritur bellum. Justinopolitani, qui præter cæteros ma-riti-

1275

*Jacobus
Contareus
Dux crea-
tur.*

1277

*Justinopoli-
tani defi-
ciunt.*